

10.
AMORES
CONRADI
RITTERSHVSI
BRVNSVV.

*Clarissimorum Poëtarum elogijs
celebrati.*

AVCTORVM NO-
MINA.

*Scipio Gentilis
Paulus Melissus.
Marquardus Freherus.
Iohannes Posthius.
Ianus Gruterus.
Franciscus Modius.
Nicolaus Taurellus.
Lamb. Ludolf. Pithopæus.*

*Georgius Carolides.
Petrus Bertius.
Matthias Nizolius.
David Hæschelius.
Georgius Volckartus.
Andreas Mollerus.
David Palladius.
Georgius Staudnerus.*



ALTORFII.
TYPIS CHRISTOPHORI LOCHNERI,
TYPOGRAPHI ACADEMICI.

M. D. X C I I.



DE NVPTIIS
CONRADI RIT-
TERSHVSII I. C. ET
HELENÆ THEODOSIÆ
STAUDNERÆ,

ἘΠΕΟΜΗΝΟΝ ΜΕΡΟΣ ΤΟΥ

M. Georgii Volkarti.

BIS septena poLI LVX fVLIt ab aXe NoVeMbrIs,
ECCe HeLenes fertIs sponse Ligare saCrIs.

ALIVD

Georgii Staudneri sponse fratris.

BIS septena Dies pLVViosI eXorta NoVeMbrIs,
TransIt Vt In faVtos sponSa probata toros.

ALIVD EIVSDEM.

EXCItat EVCharII LVX sVaVla gaVDIa nVptIs:
Vt DVo pVLCrè Vna VIVere Carne qVeant.

ANNO CHRISTI

M. D. XCII. Die XIII I. Nouembris
qui est Eucharii.

SCIPIONIS GENTILIS IG.
E P O S.

NAM venit Autumnorapidis fugiente quadrigis,
Horrida bruma gelu, spirantq, etesia flabra
Immitis Borea: facies nitidissima cæli
Illa modo putri nimborum tabe senescit.

Iam silet omnis ager, jamq, omnis pallida circum

Pratorum species attonsum luget honorem:

Luget & ipsa suum silva exspoliata decorem,

Et nudasse domos auium, ceu perfida, maret.

Vnde alias latebras celeri reperire volatu

Nunc quarunt: ipsi campis cessere relictis

In stabula alta greges balantum, & buccera sacra.

At vero alipedes cerui, constrata caducâ

Fronde sibi gaudent, lapsisq, cubilia ramis:

Quò densas vitare niues & frigora possint.

Omne adeò genus humanum, pluuiabilibus Austris

Admonitum, jam ligna foco, vestesq, parauit.

Iam miles, jam mercator, duo nomina sacra

Incluta auaritiâ, truculentum hic deserit aquor:

Ille, suo rigidus ferro magis, oppida querit

Nunc tamen, & cogit rabiem mitescere belli.

Te verò, ô RITTERSVSIDE, mihi semper amate

Semper amande magis, Musarum nobile semper

Delicium, quid te captis facere arbitrer istis?

Aonias non tu rupes, nec musica labra

Permessi, video, aut Pidni nemora ardua captas;

In gremium, castosq, sinus te te abdis amata

Virginis. hæ tibi sunt latebrae super omnia dulces.

Atqui ego non à te sperabam talia: Verum,

Cum tibi candidius intacta sit niue pectus,

Et niue frigidius Veneris quog, rebar ad ignes:

Pierijsque modo flagrare caloribus. ô me

Stulticia damnatum huius, nec naris acuta:
Nam ceu Sidonio lana rude vellus abeno
Feruēt, sufficiturq; prius medicamine certo,
Quò magis ardenti hinc splendet purpura fuco:
Sic tua doctrina Mens pulcro imbuta colore,
Altiùs hinc sanctos Erycina combibit ignes.
Quamuis hic nobis non se prius extulit ardor,
Emicuitq; foras, thalami quàm pacta mariti
Fœdera, & Auspicius consuetum audiuius omen,
Innexasq; manus, dotemq; & munera dicta.
Quæ nunc cuncta suæ diuino numine flammæ
Verus firmat Hymen. Sed vos procedite tandem,
Tuq; prior, tu sponse: pudor non aptus amanti est.
Hæc poscunt te sacra, citat Cybeleius ille
Tecanor, & bifori resonans caua tibia versu:
Urget & ille chorus Nympharum Sulzigenarum.
Cui loquor? aut quid ago? nam te nullius egere,
Qui pellat, sed qui adducat tibi frana, notauī.
Nuper enim, quamuis cunctarum incuria rerum
Nunc tenet, & cupida detest i singula mente:
Haud tamen effluxit, memori sed pectore fixum
Seruas, ut dominâ fueris digressus ab urbe
Me comite, huc repetens, & quis tum casus utrumq;
Ille quidem dispar, sed certe mersit utrumq;
Musa jocosa faue. hic lusus pugnasq; lutosas,
Non gladios aut peilâ cano. Tristiſsima cœli
Tempeſtas terræq; fuit, quum Noricatecta
Linquere me secum, atq; die moriente cœgit.
Illum acer stimulis Amor impellebat acutis,
Atq; fides, reditusq; sua cum virgine pacti.
Mî pudor, ut sequerer, suavit, sortisq; futurae
Haud ulli euitanda lues. jam nubila & imbres
Ingruerant: ipsaq; mihi cum luce diei,
Perficiundi iteris spes protinus elanguebat:

Straminumq;

Stramineumq̄ agitabam animo lectumq̄ laremq̄,
Villula ubi fumat cannâ præsepta paluſtri.
Sensit Amans meus hoc: (quid enim, quid fallat amantes?)
Continuoq̄ meo lateri se absolucere furtim
Molitus, rapido inde gradu limosa viarum
Pervolat, & properat fidos testarier ignes,
Inq̄ sinu dominae blando sermone foueri.
Qualis pullus equus, quem matris abubere raptum
Insolita face torret Amor, nihil ille neq̄ amnes
Obiectos, nec saxa timet: placitamq̄ requirit,
Arduus atq̄ fremens, florenti ætate iuvenam.
At misero mihi quid nocte ærumnabile in illa
Defuit? ipse meos nolo memorare labores.
Totus abundantiam madefactus ut imbre, viaq̄
Stagnanti, & crebris incilibus intercisa,
Cæcus oberrarim, nullo comite. Improba dicam
Vota mea. optavi, non, ut tibi crura pedesq̄
Sponse, retardaret vis acrior, alta vorago:
Sed tamen ut caderes illeso corpore, quâ vis
Magna luti, spissaq̄ palus liueret amurcâ:
Atq̄ has exuvias, hæc sponsæ dona referres,
Quandoquidem charum liquisti infidus amicum.
Audiuere Dei mea vota. Ut mœnia primum
Vidiſti, celsaq̄ micantia lumina turri,
Ecce cadis totus cenoq̄ involueris alto.
Risit amica Venus, faciles risere Napeæ,
Lataq̄ noctivagum risit lascivia Faunum.
Quis tibi tunc animus, qui mæsto in pectore sensus
Tunc inerant? non posse avidas in Virginis vlnas
Extemplo ruere, & labris adsugere labra.
Ne doleas: tenebræq̄ tuum texere ruborem,
Atq̄ illo est magis explorata fides tua casu:
Dadala ceu calidis aurum explorare caminis
Flamma solet, manibusve decus collève laborans.

Te potius te *Nimpha*, *Palatina* urbis *iassu*,
Sulzia qua fertur *Latij*s celebranda *Camænis*,
 Compellare meo conarer *suaviloquenti*
Carmine, *virtutesq;* tuas ad *sidera* ferrem:
 Si non *istâ* tibi *melioris* *præmia* *Musa*
Parta forent. desponsa *Lino* me talia *poscas*?
 Et jam *longa* *mora* est: *thalamo* *decede* *pudico*,
Aureolumq; *pedem* *obnuptis* è *postibus* *effere*,
Mox *reditura*, *aliog;* *viri* *exhilaranda* *triumpho*.
Nulla (*ut opinor*) *enim*, *quàm* *præsens*, *luxerit* *unquam*
Gratior *hora* tibi. *simulatis* *vos* *quoq;* *multa*,
Virginei *pars* *alba* *chori*; *nec* *seria* *semper*
Verba *fluunt* *vobis*. *nec* *semper* *serius* *humor*
Decidit *ex* *oculis*: *si* *Fescennina* *loquella*,
Et *prætextatus* *teneras* *sermo* *imbuit* *aures*.
Lingua *oculig;* *dolent*, *animus* *quod* *gestit* *apisci*.
Quare *age* & *amplexus* *atq;* *oscula* *mutua* *in*: *ge*,
Et *iuveni* *ardenti* *totam* *te* *dede* *maritam*.
Non *edera* *amplexus*, *non* *oscula* *vestra* *columba*
Vincant. *huc* *pariter* *totis* *sudate* *medullis*,
Candidus *ut* *vobis*, *exactis* *mensibus*, *infans*
Nascatur, *dulces* *oculis* *qui* *spiret* *amores*,
Vestraq; *perpetuis* *diffundat* *gaudia* *saculis*.

PAULI MELISSI FRANCI

Comitis Pal. & Eq. civis Romani

O D E

AD CONRADVM RITTERS-
HYSIVM IURISCONS.

NOSTROS *exturias* *si* *numeros*, *ferè*
Nil *CONRADE* *aliud*, *quàm* *thalamis* *super*
Decantata *videre* *est*,
Nil & *quàm* *tumulis* *super*

Deplorata

Deplorata mele. Flagitat hac pia
Mentis mastites, ob lacrimabiles
Furvum jus Libitina;
Contra autem illa Lubentia
Poscit laticia, & lex Amathusij
Præscripta graphij candidulis notis.
Vtrumcumque jubemur,
Sensus induimur pares
Rebus propositis. Quare ego gaudeo
Tecum. quando Helenen Theodosiam tuis
Iungi intelligo tædis,
Gente Staudneriâ satam;
Quæ fratres quot habet, tot quoque lumina
Doctrina. Themidos percelebri gradus
Insignivit honore
Vnum adsinibus ex tuis.
Vir doctus genitor, præco sacri fuit
Verbi, quâ gemino dividit abvea
Urbem Norida plane
Pegnissus pater insula.
Illic deinde loci, quâ tua Tyndaris
Diversata lubens, per quadriennium
Præfulgentis in aulâ
Muni lintea principis
Demandata sue cure habuit: Vigil
Nocturn, nec studij desita sub diu:
Tantum cara, suæque
Dilecta officijs heræ,
Quantum nec teneri dixeris Herculis
Matri flavicomam vixit Galanthida,
Nec Niphen Hyalenque
Latoa comites Deæ,
Pallatina domus Sulzio ab oppido
Nunc Altorphiacos suspicor ad lares

Hanc

Hanc dimiserit agrè
Iussa strenuam & utilem,
Qua vel nictus avens innuat, exsequi.
Sed matura viro virgo ligarier
Alstringiq; tenacem
Zonam denegat arctius.
Gustandum liciti philtrea Cupidinis,
Et quæ prabet Amor dulcia. Tu quoque
Vix compefcere linguam
Ritterfufiade queas,
Quin libes rofeis mella fluentia
Ex labris Helenes. At mihi contrabe
Sodes franaparumper,
Adfectumq; animi vie
Loro, precipitem labier impetu.
Rerum temperies optima. Nam quoque
Ori mel fit amarum,
Si quando nimium comes.

Epigrammata

MARQUARDI FREHERI

Confiliarij Palatini.

I AD SPONSVM.

Scilicet hoc est, quod (memini) mihi nuper amico
Poela inter poteras dissimulare novo.
Grata licet ferres joca tu facile atque cavillos,
Dudum, & te faceret garrula fama reum.
Nunc cum publicitus genialia sacra geruntur,
Et plena clarum lampade lucet amor:
Fama licet ceset, consumpta & fabula vulgi
Conticeat; nunquid dissimulare cupis?

II ad eundem.

II. A D E V N D E M.

SAt lychnis studijsq; datum, Conrade, seweris;
 Noctibus & tetricos continuasse dies.
 Constant in Latiam tua iam benefacta Mineruam;
 Vidimus Ingenij pignora culta tui.
 Illa habeant, meruere a te quae Magnus & ingens
 Symmachus, Ausonia lumina bina toga:
 Quisq; greges Thetidis cecinit pradaeq; Diana;
 Quae solo viuunt corpora, quae salo.
 Et quod praeterea affectum, tantumq; colendum
 Posteriore manu, cista coercet opus.
 More alio vtendum est deinceps, Dominaeq; vacandum:
 Nec iam sponte tua viuere, ut ante, potes.
 Non citus ad galli cantum, fabriue sonantis
 AEmulus ambiguo surgere mane velis:
 Nec totos sine fine libris impendere soles
 Integrum, & occlusis abdere te latebris:
 Praecipue at serae meditari noctis in horas,
 Pallada quaeq; oleant scribere velle, nefas.
 Deniq; non tibi iam & Mafis pote viuere tantum
 Quid tibi, quid potius nunc sit utroq; vides.

III. I N N V P T I A S.

PRedocto iuueni lectissima Virgo locatur.
 Ecquid in humanis pulcrius esse potest?
 Omina fatidicus, si qua, optima promat aruspex,
 Inq; bonum argutas explicet arte notas.
 Augur & alituum caelo agmina laua sereno
 Seruet, & auctore fulgura missa Ioue.
 Pergat in aerijs, quae felix, praeuia tamplis
 Praepes; & optatum concinat oscen epos.
 Accipiter thalami fortunam, seta palumbes
 Pignora, concordem turturis ora torum.
 Longeuosq; dies cornicula leua per auras,
 Et philomela illis prospera summa ferat.

IN NVPTIAS
CONRADI RITTERSHVSI. I. C.
IN CELEBERR. ACADEMIA ALTORFIANA
PROFESSORIS PVBL.

ET
HELENÆ STAVDNERIAE VIRGI-
NIS HONESTISSIMAE, CELEBRATAS
Altorphij die 14. Novem. b. A. C. M. D. XCII.

Non tantum eximias tulit olim Gracia formas,
Fert Helenas etiam Tentonis ora suas.
Inde meus legit sibi Rittershusius unam,
Cui modo commendat remq; suamq; domum.
Cum qua partiri curas & gaudia possit:
Quæq; epulas domino fida ministra paret.
Ex qua suscipiat secundi pignora lecti,
Quæque genus matris, quæ referantq; patris.
Quæis sine coniugium infelix & triste putatur:
Quæis sine frigescit connubialis amor.
Ast horum nunquam genialis desinet ardor:
Namq; erit hic felix & sine lite torus.
Hoc Venus, hoc Charites, hoc magnus spondet Apollo,
Et fata, & nitidi sidera fausta poli.

ALIVD
AD SPONSVM.

Vndique circumstant nos dira pericula Martis,
Et madefacta hominum sanguine terra gemit.
Tu tamen esse animo securo diceris, atq;
Vxorem his miseris ducere temporibus.
Quid, Conrade, paras? cur te non respicis? an non
Hinc tibi quæ possint damna venire vides?
Quid loquor? his dictis pondus precor absit & omen:
Hinc potius veniant commoda multa tibi.

Perge

*Perge igitur, Conrade, istam pertexere telam;
Perge maritalis gaudia inire tori.
Dumq̄, alij pradas atq; arma cruenta sequuntur
Tu cole tranquilla fertile pacis opus.*

Iohan. Posthius, Aulæ Pal.
El. Medicus F.

LVBENTIAE, FAVENTIAEQVE SACRVM.

Posthi Heliconiadum mera adorea germanarum;
Peoniaq; idem fulgida bacca rei;
Iure quidem petis vt Riterhusi carmine festo
Ad cæli vocitem templa serena toros:
Sed non ille ego sum quoq; qui tibi obaudiat, arcta
Vsq; adeo super est resq; fidesq; domi.
Nam licet huc pridem lacrimoso venerim ab Albi,
Haud etiam obtritus fulminis igne caput:
Sic tamen attonuit mentem fragor ille Dialis,
Nulla ut adhuc hilari sanguine vena micet:
Palleat aſt viola facies rugosa colores,
Regnet & in cunctis artubus acre gelu;
Labrag; concurrant, ac dentato obsita septa,
Hiſcere tantillo murmure lingua neget.
Quidnam ergo? hoc tacite modo se intra voluit: Amantes
Qui benè coniunxit, perpes adurat amor:
Perpes adurat amor, quem non dens ille Theonis,
Ille vetustatis nec genuinus aret.
Verùm Helenamaneat Riterhusio ubiq; fidelis,
Seu sine nube fluat, seu sine sole dies.
Verùm Helenam inq; oculis Riterhusius inq; medullis,
Vsq; ferat, quò Fors vitrea cunq; cadat,
Vt sic mox Helene triplici Riterhusia mundo:
Illâ Helenâ fiat nota priore magis;

B 2:

Quantum

*Quantum ipsam ingenio miti genioq; pudico
Est potis innumeris exuperare modis.
Prima decennalis fuerat caussa belli,
Ista perennantis caussa quietis erit.*

Ianus Gruterus I. C.

AD CLARISS. ET CONSULTISS. I. V. DOCTO-
REM DN. CVNRADVM RITTERSHVSIVM, ANTE-
cessorem Altorfianum, amicum vni-
cè vnicum,

Nil mihi rescribas, sed protinus ipse venito,
Scribebat lento Penelopea viro:
Tu contra; rescribe, inquis: tibi cura nec ulla est,
Ut visam ad vestrae culta Lycea schola.
Nimirum, illa procos, totumq; hoc casta procari
Oderat, absenti Coniuga fida viro:
Tu procos, & sponsus, speratam intentus in vnâ,
Et sponsam; haud assis nostrag; nosq; facis.
Non impune quidem, si quid mea carmina possunt,
Siquid ab irata pagina scripta manu:
Numen amicitiae & quid sit post nomen amoris
Ponere, posteritas, fama; discet anus.
Ludere me censes? coram experiere procari
Hoc mihi quàm nequeat complacuisse tuum.
Causam queris? habe hanc Romano more; procaces
Iste procos omnes reddere suenit amor.

AD EVNDEM.

Quere alium, Conrade, tuos qui cantet amores:
Non facit ingenio materia ista meo.
Non facit ad genium: non ad sortem optime nostram;
Quae mihi nescio quo semper iniqua modo est.
Dicere delicias Priamus tracto Hectore quondam
Si potuit, verè barbarus ille fuit.

AD

ADHVC DE EODEM;

Aduena. *Altors! faciles Modio adspirate Camæna;
Digno vos vobis carmine vt ille canat.*

Musæ. *Carmine nos nobis digno cum pagina cantet
Conradi; frustra hic ingeniosus eris.*

Faciebat, ne, vel potius, ut nihil faceret;
Franciscus Modius Brug. dum vicini-
nos Altorphio montes perreptat,
prid. KL. Iunias M.D. XCII.

EPITHALAMIVM

CLARISS. D. DOCTORI CONRADO RIT-
TERSHVSI O SPONSO: ET HELENÆ THEODOSIÆ
Staudnerianæ, castissimæ virgini, &
sponsæ dicatum.

Cvm Deus hunc adeo spactosum fecerit orbem,
Qui multis poterat millibus esse satis:
Cumq; pari virtute satis mortalibus omnem
Terrarum posset munificare locum:
Cur plures tanto non finxit in orbe duobus,
Vt subito quinis excoleretur ager?
O graue consilium, maiestatemq; benignam,
Qui nos hac uoluit parte beare, Dei.
Prolem namq; suos agnoscere posse parentes:
Fæmellamq; suo nubere posse mari
Insit: ut eiusdem vi sanguinis esset in omnes
Omnibus: & vegetus crescere posset amor.
Namq; beata beat soboles matremq; patremq;
Fælicesq; facit copiam prolis auos.
Natura hoc opus est: & originis unica nostræ
Hæc ratio est cursu constabilita suo.
Cum fæcunda fouet sibi credita semina tellus:
Hinc fit, & excrefcit lata, vigetq; seges.
Complexuq; sui quæ cepit fæmina: partus
Grato compensat fænore dona viri.

Grataq; coniugibus cum crescat amore voluptas.
Hac etiam blandus crescit, & ardet amor.
Blanda q; materno succrescens sanguine proles:
Quæ matrem sexu nata, patremue refert:
Certa voluptatis sunt hæc, & certa laborum
Munera: quasq; viro fœmina præbet opes.
Vincula quin sunt hæc, firmumq; tuentur amorem:
Mutua sicq; diu statq; vigetq; fides.
En Ritterhusi quod te iam inuitat, & urget,
Quæ tibi coniugium polliceatur, habes.
Splendida coniugij facies, & amabilis hæc est:
Quæ tibi delicias afferet, atq; iocos.
Ecquid an exultas? auersa fronte quid obstat
Aspice: quidq; grauis fors ferat ista mali.
Huc sua seruilis coniunx incommoda vitæ:
Et sua deliciae damna, iociq; ferunt.
Nec caret ipsa suo cumulata dolore voluptas:
Sæpe etiam prolis cura, metusq; nocent.
Quis ferat imperium? quis iurgia crebra? quis iras?
Quis fastum placidè, duraq; verba ferat?
Aspera sunt huius, perplexaq; vincula nodi:
Quem fera mors per vim soluere sola potest.
Aspice quos sumptus, & quos hæc vitæ labores
Afferat: expensis ne sit egena domus.
Horrida coniugij facies, & tristis imago
Hæc est: delicias quæ fugit, atq; iocos.
Fœmellas urgent hæc omnia damna, virosq;
Cælebs vita licet, virginitasq; vetent.
Quæ mala coniuncta fœlicius omnia vires,
Et certa superant fœmina, virq; fide.
Si quæ damna virum, tristisue molestia vexat:
Aut grauis oppresso corpore morbus habet:
Maxima tum præbens socialis commoda vitæ:
Quæ sua sit coniunx cura, fidesq; docet.

At Rittershusi vel iurgia forte, vel iras,
Fortè vel imperium, vel maledicta times.
Ecce nec imperium, nec iurgia crebra timebis,
Cum petat amplexus casta tuos HELENA.
Non quæuis animum, nec eosdem sæmina mores:
Nec similem vultum qualibet vxor habet.
Hunc infælicem virgo facit ista maritum:
Altera fælicem sæmina nupta facit.
Coniugis ecce tua pietas spectata, fidesq̃:
Et placidi mores, ingenijq̃, decus:
Te, Rittershusi, per tempora multa beata
Fælicem facient coniugis esse virum.
Hac fastumpietas, & iurgia tollit, & iram:
Et domino imperium datq̃, sinitq̃, suo.
Magnaq̃, nec multa metuas incommoda prolis:
Nec te paupertas terreat ulla patrem.
Nam beat ista bonos benedictio sæpè parentes:
Diuitiasq̃, sua nomine prolis habent.
Nuda, tenella, gemens, insons, opis indiga proles
Iratumne sibi sentiet esse Deum?
Qui iuuat aduersis ubi nutant omnia rebus:
Quando cadit rigido spesq̃, salusq̃, metu.
Cum pia nupta pio viuit cum coniuge coniunx:
Mutua quando viget sedulitate fides.
Quidni succedant fælicibus omnia captis:
Et sit ad innumeros vita beata dies.
Ergo fælicem quæ te facit esse maritum:
Te quoq̃, prole beæ virgo beata patrem.
Hac Rittershusi lato cape carmina vultu:
Nec tibi crede meas posse nocere preces.

Nicolaus Taurellus Med:
Professor Altdorfi Noric.

SYM.

SYMBOLA
LAMBERTI LVDOLFI PITHOPOEI,
DAVENTRIENSIS.

Cum tuus in sacro, te olim, Cunrade, lauacro,
Cunradi voluit nomen habere pater,
Omne felici, cordato nomine, sortem
Præsaga vidit te fore mente virum.
Patria, vir factus, factis præagia firmas,
Et vera inceptis fortibus esse doces.
Iure ego te Graio Thrasybulum nomine dixi,
Cum mihi te primum, me tibi nosse datum.
Cernimus, ut toto Satanus furat improbus orbe,
Horrida Christicolis bella necemq; parans,
Et iam iam triplicis videatur machina mundi,
In nostrum subito corruitur a caput.
Iusti etiam excutere ut sceptri moderamina tentet,
Surgat & in dominos plebs furiosa suos.
Extremamq; pijs intentent omnia cladem,
Ni tua defensor dextera, Christe, tegat.
Has inter turbas, Cunrade, ferosq; tumultus,
Et mundirabiem totius atq; minas,
Tu tamen, & laudo, solius numine Christi
Fretus, in experto pectus amore flagras,
Et thalami leta versas sacra mente, gerisq;
Theodosia sempex nomen in ore tuae.
Nescis, ah nescis, animal mirabile quàm sit
Femina, seu bona sit, siue sit illa mala;
Paruum parua malum, prisco & sermone recenti
Dicitur, & magnum femina magna malum.
Optio si fausta detur sibi sorte, malorum,
Qui sapit, ex cumulo deligit ille minus.
Blandum blanda malum est (expertis crede maritis)
Femina, & est sauum femina seu a malum.
At seu parua fiet, seu femina magna, modesta
Siue sit ingenio, siue sit illa fero,

*Seu sit plebeio, siue edita sanguine equestri
Femina, seu diues, paupera siue fiet,
Seu vidua & gratos Cythereæ experta labores,
Siue maritalis nescia virgo tori;
Ipsa seu Venere, ac Helena sit pulcrior ipsa,
Seu sit deformi corpore turpe pecus,
Seu iuuenis, roseisq; genis, roseisq; labellis,
Siue genas illi ruga senilis aret;
Vna sat est portans insomnia multa marito,
Cuius una satis femina multa grauis.
Omnis tale malum mulier, (nec regula fallit)
Ut tamen hoc videas nolle carere malo,
Et non posse viros, dictu res miraq; visu,
Ferri precipites in sua damna viros.
Iam, Cunrade, tibi hæc, certè scio, falsa videntur;
Exiguam sed fer, me monitore, moram,
Et, nimis exemplo proprio esse, fatebere, vera,
Sapè iterans, vates es, Pithopæe, bonus.
Ut tamen hæc ut sunt, fortem te dico, virumq;
Hoc etiam optaris qui, Thrasybule, malum,
Optatumq; feras, & missa cælibe vita,
Tam tibi sis ausus iungere forte malum.
Sit, Cunrade, tua hæc tibi Theodosia, opto precorq;
Grata deis semper nomine regis, deos
Sit tibi, sit, qualis quondam fuit vxor Vlixi
Penelope casto nobilitata toro.
Qualis in Admeti spectata Alcestis amore,
Pro cuius cupyt illa salute mori.
Qualis in Abramiden Bathuelis fida maritum,
Qualis in Isaciden pulcra Rachelæ suum;
Sit tibi mel, nectarq; merum, sit dulcior omni
Theodosia ambrosia, sit sine felle torus.*

C

Omni

*Omni plena bono praesto bona Copia cornu,
Hocq; malum, semper sit tibi dulce malum:
Et, semel utq; simul dicam tribus omnia verbis,
Fecundum, Concors, Coniugiumq; pium.*

Heidelbergæ fac. IV. id. Sextil.
anno CIO. IO. XCII.

GEORGIUS CAROLIDES PRAGENVS LVDI.
RECTOR IN INCLYTA PISKA BOHEMORVM.

ERgo, Ritershusi, positis noua gaudia curis
Haud simulatus agis? tacitos Helena osibus ignes
Sola tuis miscet, iaculumq; infigit amoris?
Fessus amor tandem thalamo requiescit in uno?
Non equidem miror, neque liuidus inuida gesto
Pectora; laudo mage & portum tibi grator amorum:
Ipse tamen simili per amicum numen anhelat
Claudere pallentes studiorum limite curas.
Illa mihi exspectanda dies. Conrade iugali
Nunc thalamo, tædisq; tuis, vitæq; futura
Felici complexu Helena gratantia dicam
Verba, sed eterno te commendantia Patri.

Coniugium res est pulcerrima, numine Diuum
Inter primæuos olim sancita parentes,
Confirmata dein CHRISTO auspice: scilicet omnes
Ut furtiua vaga Veneris commercia vitent
Contenti propria thalami consorte iugales:
Inde toro subolem castam (quæ numen honore
Officijsq; colat; tum quæ genialibus aruis
Iura, pioſq; usus homini ferat) ætheris alti
Terraque heredem per secula longa propagent.

Tale iugum, Themidos proles Conradus, anhelat:
Tali Helena (exemplar morum niueiq; pudoris)

Sese habito mentis, Conrado, examine iunges.

CHRISTE maritalis custos fidiſſime vita
*Necte pios vinclo fidei candentis amantes:
Conuiuator ades, puraſq; è ſlumine lymphas
Mutato in neectar verum conuerte ſapore:
Celeſti ipſorum conſpergas rore cubile,
Vt tibi maturos dent verno tempore fructus:
Auge etiam, præſens vita quibus indiget vſus,
Commoda legitimo patrum congeſta labore,
Molliter vt longa traducant tempora vita,
Et tandem atherio tecum potiantur Olympo.*

HÆC SVMMA BONORVM.

PETRI BERTII
AD V. C. D. CONRADVM
RITTERSHVSIVM I. C.

Ode Prior.

Nullus nè leſo & fletibus eſt modus
CONRADE? cordi læticiam tuo,
(Cedant dolores, ſqualitudo,
Scabrities GENII,) imperato.
Non ſic ALAEIS BELLEROPHON iugis
Fleſſiſſe fertur: Non cuncos POLVS
Seq; ipſe fallens, in theatro
Dum vacua furit aëtor urnâ,
Lugentem vti te vidimus: inſuper
Voce atque fracto cum gemitu diu
Noctūq; MANES BERGIANOS,
Sic pietas voluit, cientem.
Tandem querelis ſit pudor & modus:
Sic caſſa virtus? occidit, occidit,

(ET POST TAMEN DEBET REVERTI)

Vnicus ingenij MEDULLA.
Dum vixit, vnus CORCVLVM APOLLINIS,
Custosq; veri BERGIVS, & boni,
Quo nullus aquè labra lymphâ
Tinxerat, ALIPEDIS CABALLI.
Deponè PELLÈS, fac niteant coma,
Seclude tristem frontis imaginem,
Iam pullam, & instrumenta luctus
Te LIBITINA iubet referre.
Non vel supina fata mouent manus,
Velata vel frons: pectus aheneum
Frangit dolores. Perferendum
Quod Ratio, aut DEVS imperauit,

ODE POSTERIOR.

R*ECTÈ herclè, rectè, & more facis bono,*
Tandem dolorem qui minuis tuum,
Et CAIAM RAPIS vltro
FAVSTIS ALITVBVS domum.
DI CONIVGALES, DI THALAMOS, DII
CAELVM TENENTES, QUIQVE REGVNT FRETVM,
Omnes ritè vocanti
Adsint numine prospero.
Iam CANDIDATVS sacrificas preces
Proferre gaudes, iam thalamo SACRAM
PINVM ferre, corollâ
Doctum cingere verticem.
Iam LAETA sponse TIBI APERSONAT
Aureis, LEVANTIS non solitum PEDES
SVPRA LIMEN, & opido
DIVAE numina CINXIAE,

DIVAE

*DIVAE inuocantem sacra FLVONIAE.
CONRADE quis nam te DEVS, aut DEA
Tanto munere maētat?*

*Nuper tibia lugubris
Funus ciebat; pronuba nunc tuis
Sacris paratur. Sic variant vices.*

*Nulli tam fuit vnquam
Sors aduersa, eadem OBSEQVENS
Vt non faueret. Quando erit vt tibi*

Sponso latinis carmina versibus

GENTILIS canere ausim, &

Plectro tangere barbyton?

*Sperare fas sit. Te quoque, fors suat,
Copem bonorum dicere gestiam,*

Et vectare DIONEN

Summam carmine ad aethram.

HELENIVM

AMORIS ET HONORIS

ERGŌ SCRIPTVM,

A.

M. Matthia Nizolio Thoruniensi Boruffo.

Nil mundi fabricator atq; rector,
Et rerum DEVS auctor optimarum,
In mundi fabrica creauit vnquam,
Quod non terrigenis bono vsibusq;
Esset, ceu monumenta literarum
Sacrarum agmine testimoniorum
Confirmant satis, & magistrarum
Multis, experientia, hoc abunde
Exemplis docet, omnibus diebus.
Hinc nec plantula floridis in agris

Vix producta, caret bono vsibusq;
Hac tollit capitis graues dolores:
Tristes illa oculi leuat tenebras:
Hac tuſſim properè repellit agram:
Febris proterit illa vim nocua:
Vox compressa alia leuatur herba.
Cunctas velle sed indicare vires
Herbarum, maris est referre arenas.
Verum nulla puto quod extet herba,
Cuius non etiam ferae feroces
Natura stimulo sciant latentes
Vires experientia docente.
Hinc herbas sibi quaeq; profuturas
Sumit bestia, quae valentiores
Vires efficiunt fugantq; morbos:
Cervus, quem celeres premunt moloſſi,
Lafus, corripiente fortè telo,
Dictamnum legit & malo medetur.
Sic munita prius virenteruta
Serpentem aggreditur lacerta dirum.
Sic concreta medendo saeuus vrsus
Laxat viscera, plantam Aronis vtens.
Cum vires igitur sciat latentes
Herbarum, rationis omnis expertus
Brutum, quod stimulante sic parentis
Naturae impete deligat, colatq;
Herbam unam ex alijs: quid ergo mirum
Si maiore hominum tenetur vnus.
Vnius studio herbulae venustae?
Hinc molles alijs rose placere,
Et pulchrae violae solent, & herba
Est formosa Chamadryos voluptas.
His Narcissus. Amaracusq; pulcher,

Illis Pulegium placet salubre.

Verum nulla tibi, Vir erudite

Et præstans pietate moribusq;

Ex dictis potuit placere plantis.

Tandem cum spaciaris in viretis

Iucundis Veneris Cupidinisq;

Et cum delicias, amantates,

Ac refrigerium tui caloris,

Ac solatiolum legis doloris,

Mox cernis viridissimo virentem

Flore haud illepidam nec invenustam

Herbam quam lacrymis ferunt poëta

Ortus ex Helena suos habere.

Hinc est conueniens adepta nomen,

Multis consociata nam medetur

Morbis, atq; alias habet latentes

Vires, quas tibi nunc referre nolo,

Ne doctum videar docere, plures

Et fixisse faces polo atq; stellas.

Restant vota, igitur tot ore fausta

Dico & pectore gratulationes,

Quot sponsa dabis osculationes,

Quot sponso illaq; basiationes.

Sit vestri thalami status serenus,

Semper flamine cœlitus fauente:

Atq; exopto, domus frequente vestra

Sit ornata puellulo & puella:

Et uobis etiam salubre corpus,

Vitam perpetuo tenore letam,

Det rerum DEVS author optimarum,

Et mundi fabricator atq; rector.

ALL

ALIVD.

Παρθενικός τις ἔης νύμφης κληίζεται ἀνήρ
 χρυσός, ὃ τῆ ψυχῇ ἔδνα πόλοιο φέρων.
 ὃ τύπος ἐστὶ γάμοϑ, κατὰ παῦλον, εἰπερὶ κῆρι
 σύζυγος ἀλλήλων πάντα φιλάσι χρόνον.
 τῆς ἱερῆς Θέμιδος τε Δίκης τε σεί, Κόρραδε, μύστη
 νυμφίον εὐχομὶ ἐγὼ σῆς νόμον ἴσα ἔραμ.
 ἢ μάλ' ἐφημοσύνης ὑψίστη μνήμονας ὑμμε
 ξῆμ' αὐτῷ χρείτος τ' εὐλογίης τε τυχαῖμ,
 τὸν κατὰ νοῦν πρώτιστα· ἔσχατῶς τοῖσιρ ὦν ἔξω
 οἴκοι τρισμάκιστος, τέκνα φαεινὰ ἰδῆρ.

M. David Hoeschelius Augusta F.

ΕΡΩΤΟΠΑΙΓΝΙΟΝ.

Ως ἴδερ' αἰζήνον θαλερόν λίαρ εἶδ' αὐγῆ
 παρθένος, ὡς μὲρ ἔρωτος ἀμφεκέλυψε φρένας.
 εἰς τόνδ' ἐστῆριξε διαμπερὲς ὄασε φαεινῶ
 ἔπος χ' εὐρέμεναι κηρόφιρ ἐστὶ κόρον.
 τῆ μερ' ἐρωτοπνόοισιρ, ἐπὶ ὑποκέρδιον ἔλκῃ
 τῆσδε νοῆσ', ὁάροις ἔννεπερ' ἠΐδεις.
 ἔχ' ἐλικὸβλέφαρος σὺ πολυπλανὲς ἴμμα τίτανε,
 ἔδει ἐρεθισμὸν ε παρθένος ὄπασ' ἔχοι.
 ἢ δ' ἀπαμειπῶ· σὺ μάλλον ἐπὶ χ' ἰδονὸς ὄμματα πῆξορ.
 γαῖνδερ' πρόσπερον λαβὲ ὅτι πλάσσο τῆ.
 αἰσχέρονϑ φύτλης πλευρῆ πέλερ' ἀνδρογύνετ' ἄλλῃ
 ἡμῆς· τῆ γ' ἔραμαι σύζυγος ἔμμεν αἰ.

M. Georgius Volckartus Verbi Dei
 Minister, Altorphij F.

EPIGRAM.

EPIGRAMMA

M. ANDREAE MOLLERI

Saxo Palatina dum flagrat amore puellæ
 Conradus patria fama decusq; sua,
 Cum Musis Phœbum uideas, Helicone relicto,
 Fingere nunc cantus nunc glomerare choros,
 Quâ caput Altorfina suum schola tollit, alumna
 Tot scholâ vicina fertilis ingenijs.
 Ecquid ego taceam reliquis cantantibus? & dum
 Ducit Apollo choros ocier ecquid ego?
 Nolo: nec iccirco miscebor oloribus anser:
 De sponso tecum, sponsa uenusta, loquar.
 Scire mihi videor, Cur Rittershusius vnus
 Præ reliquis animo riserit ille tuo.
 Est iuuenis magno ingenio: nec auunculus illi
 Ore styloque potens inficiandus erit.
 Id reor, ex multis huius tibi suasit amores,
 Cum teneant alias sordida sæpè nurus.
 Non tamen hoc est omne proco quod possit amores
 O Helena, egregio conciliare tuos.
 Discipulus quondam spem sæpius ille magistri,
 In studijs vicit sæpius ille pares:
 At jam præceptore suo Caput altius ipse
 Tollit, & haud pudet hunc discere qui docuit.
 Nec tamen hic sponsus nouit consistere, qui vix
 Vtterius quo iam progrediat ur, habet.
 Ipse sibi superandus: nititur istud
 Conradi semper mens operosa tui
 Scilicet ad summos gradus est hic vnus honores,
 Dum grex puluerea segnior hærethumo.
 Quid rides Helena: an dum sese vincere dico
 Conradum, imperij nil grauis ipsa times?

D

Hoc

*Hoc precor. Et quò pax bona constet utrinque, marito
Tu quoque redde pares obsequiosa vices.*

Per scriptum Brunsvigæ 31. Iulij.
Anno Christi 1592.

A L I V D.

Acrius vrit amor flammis, vehementius igne
Ima medullaris viscera transit amor.
Ignis enim tantum præsentia corpora flammis
Attingit, tantum proxima queque cremat:
At verus, quo nil maius, vel acutius vsquam est,
Corda, procul quamuis distita torret amor.
Sic longè absentis Thrasybulus amore puella
Ardet, & amotus corpore, corde prope est.
Sic Thrasybulum Helene suspirat, sominat, optat.
Seiunctique procul, flagrat amore proci.
Ille calor magis & magis exardescat amantum,
Mutuus & nulla clade tepescat amor.

David Palladius Partheno politanus
Brunsvigæ F.

F I N I S.



utrinque, ma
uisa vices.

ptum Brunsvig
Anno Christi 1

V D.

hementis igne
transit amor.
ora flammis
a quaque crema
utius usquam et
a turres amor.
ore puella
corde prope est
feminat, optat
amore proci.
cas amantum,
cas amor.

lius Partheno po
nsvig F.

I S.



